

servat Societas, videlicet, ut proprias et separatas habeat domos, ad hoc solum officium probandi et instruendi novitios destinatas, ut constat ex c. 4 Examinis, et ex 1 p. Constitutionum, cap. quarto. Quod etiam a Summis Pontificibus approbatum est, ut videre licet in bullis sæpe citatis de confirmatione Societatis, et ex bulla Pii IV anni 1561, quæ incipit, *Exponi nobis*, ubi has domos probationis eximit ab obligatione solvendi decimas. Ratio autem hujus institutionis primo reddi potest ex generali principio a Patribus observato, multum expedire ad bonam novitiorum educationem, ut separatam ab aliis religiosis habitationem habeant, ut optime probat Basilius, regul. 15, ex fusioribus, et statuit D. Benedict. c. 58 suæ regulæ, et fuisse observatum ab antiquis Patribus, sumitur ex Cassiano, lib. 4, c. 7 et sequentibus; et nunc etiam in omnibus religionibus observatur, in unaquaque juxta modum aliquem sibi accommodatum. Ergo quod hæc separatio sit non solum in aliqua parte ejusdem domus, sed etiam in domo distincta, ex se valde consentaneum est rationi; nam, si considerentur omnes rationes quæ fundatores religionum moverunt ad aliquam separationem faciendam, omnes ostendunt, quæ major fuerit hæc separatio intra latitudinem religiosæ unitatis, tanto fore meliorem, si cætera paria sint.

13. *Septem rationes quibus Basilius suadet novitios separatim a professis esse educandos.* — Rationes, quas Basilius insinuat, hæc sunt. Prima, ut raritate congressus novitii majorem reverentiam erga antiquos retineant. Secunda, ne occasionem alicujus elationis accipiant, si statim cum aliis ad communem vitam admittantur. Tertia, ne forte si aliqui ex antiquioribus, in officiis suis aut religionis observantia minus diligentes, vel revera sint, vel apparere possint, proclivitas ad eos imitandum in animis illorum nascatur; hoc enim scandali genus facilius in his, tanquam in infirmioribus et pusillioribus, nascitur; et sæpe propter novitatem et inexperientiam ibi defectum aut negligentiam judicant, ubi revera non est. Unde addit quarto Basilius cavendum etiam esse ne de se elatius sentire incipiant, cum in quibus ipsi recte se gerunt, in his grandiores labi animadvertant. Quinto, per hoc etiam providetur ne novitii ante tempus indecore appetant ea, quæ cum aliis propter ætatem vel alias rationes, religiose et cum decore servantur. Sexto, addit Basilius

aliud commodum, scilicet, ut in præceptorum commentatione adolescentulis necessaria, strepitu illo, qui illam solet comitari, reliqui religiosi non offendantur. Denique concludit, ad servandum rectum ordinem in disciplina religiosa, hæc separationem esse necessariam; quæ omnia commodius profecto servantur, si separatio in distinctis domiciliis fiat, si commode id fieri possit, quamvis etiam in cohabitatione ejusdem domus possint aliæ utilitates inveniri: *Nam et parvi* (ait Basilius) *et grandiorum emulatione ad compunctionem assuefunt, et qui pietate antecedunt, in oratione a pueris non mediocriter adjuvantur.* Hæc vero utilitates et similes non amittuntur propter domorum separationem, quia hæc nunquam potest esse tanta, quin cum novitiis aliqui antiquiores habitent, a quibus vitæ exemplum accipere possint, quod eo melius fiet, quo ipsi magis fuerint selecti et probati; et e converso, inter antiquiores semper juniores aliqui habitant, qui licet novitii non sint, novitiorum fervorem et institutionem retinent, quorum vel officio, vel exemplo alii sufficienter juvari possunt.

14. *Octava ratio, ex Societatis instituto sumpta. — Probatur imprimis novitios in domibus professis educari non posse. — Item in collegiis minus convenienter educari.* — Præter has vero generales rationes, considerata est in Societate specialis utilitas, vel etiam necessitas ex peculiari fine, et actionibus Societatis proveniens. Nam, omissis novitiis, duo sunt in Societate conventuum seu domiciliorum genera, pro aliis, qui jam sunt Societatis membra; quædam pro studiis et scholaribus principaliter deputata, quæ collegia appellantur; alia ad actiones et ministeria erga proximos omnino dicata, quæ sunt domus professorum; in neutro autem locorum istorum poterant satis convenienter domus novitiorum Societatis fundari; merito ergo tertius ac separatus locus ad hunc finem inventus est. Minor quoad domos professoras facile ostendi potest. Primo, quia illæ domus reditus habere non possunt, sed ex eleemosynis vivere debent; domos autem, in quibus novitii probantur, habere convenientes reditus oportet, ut in eisdem Constitutionibus Societatis institutum est, tum propter majorem tranquillitatem et quietem novitiorum, et Superiorum, a quibus gubernantur, ut, deposita sollicitudine rerum temporalium, solis spiritualibus intendant; tum etiam ut omnis occasio distractionis auferatur. Secundo, quia longis-

sime inter se distant ministeria domus professe, et occupationes ac instituta novitiorum, propter quod necesse est in professis domibus esse multam frequentiam secularium personarum, multamque cum illis communicationem, a qua novitii separati esse debent. Denique domus probationum non sunt (ut ita dicam) proxima et immediata seminaria domorum professorum, sed hæc sunt collegia, quæ a domibus novitiorum continuo refici et conservari debent; et ideo cum collegia debeant esse separata a domibus professis, ut infra dicemus, multo magis novitiorum domus; quod si hæc cum aliquo illorum membrorum conjungi deberent, potius id futurum esset cum collegiis, quam cum professorum domibus. Unde in declaratione cap. 1 Examinis, lit. B, domus probationis velut membra collegiorum esse dicuntur, ubi et admitti et probari ad tempus solent, qui postmodum in collegiis sunt constituendi. Atque ita ubi commode probationis domus omnino separari non potest, cum aliquo collegio interdum conjuncta est, ita ut illo habeat omnem separationem quam habere possit. Nihilominus tamen regulariter, ubi id fieri potest, multo commodius existimatur ut domus probationis a collegiis etiam distincta sit, quia etiam studentium exercitia valde diversa sunt ab exercitiis novitiorum, nec possunt intra eandem domum adeo separari, quin aliqua inquietudo et perturbatio in aliquibus saltem inde oriatur. Item, quia cum domus probationis ad educationem spiritualem novitiorum solummodo atque omnino instituta sit, res omnes illius, totumque regimen, ordo, actiones, atque ipsa etiam habitatio ad illum finem diriguntur et accommodantur, et Superioris cura magis unita est, totaque circa educationem novitiorum versatur, et ad hunc finem omnia alia disponit; unde non est dubium quin ad meliorem novitiorum educationem hæc ratio vivendi utilior sit.

15. *Hanc separationem non esse de substantia novitiatu.* — *Quid sit de hujus novitiatu substantia. — Qui cum ficto animo Societatem ingreditur, vere novitius dici nequit.* — Quamvis autem hoc ita sit, nihilominus hæc etiam circumstantia non est de absoluta necessitate probationis, ut in eisdem constitutionibus satis declaratum est. Nam parte tertia, c. 1, § 27, et parte quarta, c. 2, lit. D, significatur etiam in domibus professis posse aliquando novitios probari, quod etiam consuetudine receptum est, maxime quando ad servitium

vel auxilium domus eorum opera necessaria est, et eadem ratione possunt aliquando ad collegia admitti, ut in quarta parte, cap. 6, lit. C, dicitur, et tunc non interruptitur eorum probatio, quia illa loci circumstantia essentialis non est. Unde tandem concluditur, de substantia hujus probationis tantum esse id, quod est de substantia novitiatu, in quacumque alia religione, illud cum proportionem ad hæc accommodando. Hic etiam non est necessarius specialis habitus regularis, sed totum ad hoc reducitur, quod est vivere sub obedientia Societatis, tanquam membrum nondum illi unitum per aliqua vota, cum proposito illam intrandi, et in illa vivendi ac moriendi, ut dicitur in quinta parte Constitutionum, c. 1, lit. A; subintelligendum autem censeo, si post probationem ita sibi expedire judicaverit; non enim tenetur novitius habere absolutum propositum profitendi, seu moriendi in religione (quamvis optimum consilium sit), quia cum eo tempore revera ibi sit ad probandum, satis est in rigore quod habeat illud propositum cum ordine ad probationem, seu (quod idem est) sub illa conditione; quamvis (ut dicebam) melius sit illum supponere, et propositum firmum habere; sic enim magis excitatur homo ad constantiam et ad perferendos labores quos in religione experitur. Videtur autem necessarium habere dictum propositum. Unde, si quis ficto animo, cum deliberatione non vivendi perpetuo in Societate, sed solum proficiendi, vel studendi per aliquot annos in ea existat, et exterius probare se sinat, præterquam quod gravissime peccaret decipiendo religionem in re gravi, et postea egrediens teneretur ad restituendas omnes expensas, vel si quæ alia damna ob eam causam religio passa esset, ille non posset vere dici novitius Societatis; nam, ut in prædicta declaratione dicitur, ut aliquis vere dicatur de Societate, etiam novitius, necesse est ut cum prædicto proposito vivendi et moriendi in Societate, sub obedientia ejus in probatione versetur, ut in aliquem ejus gradum admittatur. Unde satis probabile est, etiamsi postea fictum propositum mutet, et velit in Societate permanere, non posse in conscientia in tempus probationis computare tempus illud, in quo animum fictum habuit, quia revera tunc non erat in probatione, licet exterius appareret. Quod cum proportionem ad alias religiones applicari potest.

16. *Probabile tamen oppositum. — Fictus*



*animus non fruitur gratis spiritualibus Societatis. — Totam potestatem admittendi et dimittendi novitios est apud Generalem, et per illum in Provincialibus. —* Quia vero hoc videri potest duriusculum, et in praxi potest habere aliqua incommoda et graves difficultates, praesertim quoad tempus probationis simpliciter necessarium ad valorem professionis, et quia etiam nullo jure communi satisfundari potest, ideo probabiliter dici potest, quod, licet illa probatio, eo tempore quo sic fit, ficta sit potius quam vera, quia deficit intentio, a qua omnis humana actio pendet, nihilominus, mutata postea intentione, retrahatur (ut sic dicam) et ratificari praecedentem probationem; quia experimentum esse assumptum, non omnino transit, sed permanet, et illud est principaliter intentum per talem probationem. Aliud etiam incommodum cavendum est ex illo animo ficto, quia veri novitii Societatis fruuntur spiritualibus gratis Societati concessis, ut dicitur in eodem c. 1 quintae partis Constitutionum, lit. A; illis autem non fruatur qui talem fictum animum habuerit, quia pro tunc verus novitius non est; et in praedicto loco, ad fruendum his gratis hoc propositum requiri videtur; et quoniam inter has gratias continentur absolutiones a censuris reservatis, commutationes aut suspensiones votorum, et similes, cavendus est talis status, ne haec omnia invalide fiant. Atque haec videntur sufficere de hac prima parte Societatis. Nam de potestate admittendi ad hanc probationem, jam supra, in c. 1, sufficienter tactum est, et in eodem c. 1 quintae partis Constitutionum dicitur, totam illam esse apud Praepositum Generalem, et merito, quia, praeter alias rationes, in Societate non recipitur aliquis pro uno aut alio loco, sed pro tota Societate. Quia vero non potest per se semper illam exercere, quasi ordinario jure Provincialibus illam communicat. Idemque dicendum est de potestate dimittendi novitium, quando religioni non satisfacit, ut constat ex 2 p. Constitutionum, c. primo, ubi in declaratione fusius explicatur modus legitime utendi hac facultate; neque hic aliquid addendum occurrit, praeter ea quae de religione in genere dicta sunt tomo superiori.

VINIS LIBRI SECUNDI.





